
ORATIO IN DIE CINERUM HABITA IN TEMPLO S. SABINAE AD CLEMENTEM 8...

Giulio Cesare Galla



PETRO ALDOBRANDINO
S. R. E. CARDINALI
AMPLISSIMO
ET
CLEMENTIS IIX. P. M.
NEPOTI OPTIMO.



IVLIVS CÆSAR GALLA
Felicitatem.



VAM habui ad Sanctißimum Dominum Nostrum orationem in die Cinerum, typis mandare, tuis auspicijs decreui Cardinalis Amplißsime: quamuis enim purgatißsimis Summi Pontificis, ac sacri Cardinalium Senatus auribus excepta,

in luce hominum versari tutò posset; id tamen beneficium a te tanquam rei literariæ parente optimo, ac Patrono Munificentissimo expostulabat, vt illam quam suis viribus gratiam inire minimè valeret, tuo insignita nomine consequeretur. Ea igitur, qua præditus es, animi magnitudine, exiguum hoc, quantulum est, benigno fauore prosequere: id enim si assequutus fuero, ad maiora, quæ interim molior, excitabor.





VLTA quidem diuinitus ab Ecclesia vtilitati nostræ inuenta, atque instituta sunt, Beatissime Pater, nihil verò salubrius, quàm quod hoc tempus eligeret, quo & humana scelera expiarentur, & ira Dei Christianæ pietatis officijs placaretur: nullum enim ad veniam facilius, nullum ad misericordiam opportunius, sacris recurrentibus diebus, quibus & Dei filius abundè pro nobis effuso sanguine diuini numinis vltioni satisfecit, & ad summam Dei clementiam, summamque benignitatem nobis aditum reserauit. Nos verò cùm tanta charitas, tantaque mansuetudo vltro ad misericordiam inuitent, non modò tarditatem omnem abijcere, sed ad illam nobis promerendam, omni studio, omni conatu contendere debemus, anteactæ vitæ criminibus contraria virtutum opera opponendo, superbiam humilitate conculcando, ingluuiem abstinentia coërcendo, auaritiam verò largitate erga pauperes ablegando. Quæ omnia, vt opportuna remedia, Ecclesia pia mater, nimium de nostra salute solicita, nobis hodie proponit, humilitatem mortis recordatione, atque humanæ fragilitatis monumento, dum capitibus cinere respersis infelix illud humanæ naturę elogium insonat: *Memento homo, quia cinis es, &*

Ioel. 2. *in cinerem reuerteris*. Ieiunium verò non modò Ioelis pręconio clamantis: *Sanctificate ieiunium*, sed e-
Matt. 6. tiam Redemptoris admonitu dicentis: *Cùm ieiunatis, nolite fieri sicuti hypocritæ tristes*: eleemosynam quoque, atque erga inopes beneficentiam, saluberrima eiusdem doctrina, qua & paulo ante hæc recitata Euangelij verba ab inanis gloriæ fastu cùm stipem indigentibus erogamus abstinere nos admonet; & hic ieiunio eleemosynam copulare præcipit, inquiens: *Tu verò cum ieiunas vnge caput tuum*. Humilitate porro, cinere nobis designata, sicut extrinsecus corporis habitu induti fuimus; ita intrinsecus animo affici debemus, scindentes corda nostra, non vestimenta nostra, atque nostrorum affectuum caput, conscientiam ipsam amarissimo peccatorum dolore, tanquam cinere conspergentes: aptè namque patratorum scelerum dolor cineri respondet: velut enim ex lignorum incendio nihil superest nisi cinis, qui omni humore exhaustus amarissimus est; ita ex nostrarum cupiditatum conflagratione nihil nisi amarulenta ipsarum recordatio remanet, omni prorsus humore, omnique dulcedine spoliata. Hoc itaque conspersi cinere hodie ieiunium inchoare, & delictorum veniam a Deo efflagitare
Ion. 3. debemus; hic enim est ille cinis, qui Niniuitis Indulgentiam impetrauit: hic est cinis, quo re-
Iudith 9 spersa Iudith Holofernem occidere meruit, Bethuliam, ac Hierosolymam liberare: hic est denique cinis, de quo Regius Vates cecinit: *Quia ci-*

cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam. hoc etiam conspersi cinere nostram calamitatem, atque imbecillitatem ob oculos ponere debemus, ne honorum, atque dignitatum excellentia elati & nostræ conditionis immemores effecti, innumeris nos ipsos malis implicemus: quamuis enim immortali animo præditi ad æthereas Sedes consequendas, ac æternam gloriam perfruendam immenso Dei beneficio facti simus; infinitis tamen calamitatibus nos ipsos peccati grauitas cumulauit: quod enim ex omnibus animantibus, quæ cæli ambitu continentur frequentioribus, ac maioribus ęrumnis infelici, ac misero homine toto vitæ curriculo conflictatur? Sileo conceptus fœditatem, & vteri angustias; ab ipso statim exortu nudus atque inermis omnibus insuper membris præpeditus, à lachrymis vitæ initium auspicatur: at verò in lucem editus, qualem in reliquo vitæ cursu conditionem sit subiturus, in ipsis incunabulis experitur: quadraginta namque dierum spatio, ridere nunquam, nisi dormiens, conspicitur. simillimum humanæ vitæ exemplar, cuius bona non nisi tanquam somniantes experimur; cum mala exactissimo sensu, ac summa animaduersione vigilantes patiamur. sed quibus puer adhuc molestijs afficitur? adiscendi anxietate, parentum, atque Pędagogorum imperio, quibus iuuenis cupiditatum fluctibus, atque æstibus agitatur? quibus senex morbis, atque angoribus premitur? Melius

Psal. 101

Arist. 7. de hist. Anim. c. 10
Pli. lib. 7. cap. 1.

itaque dum ærumnosam hanc, atque miseram vitam degimus; non lucis vsura perfrui, non viuere, sed in tenebris, & vmbra mortis ambulare dici possumus. Quam vero tenue, bone Deus! quàm fragilie est hoc nostræ vitæ filum: alij vuæ acino deglutito, alij pilo hausto, alij inter calceandum, cum alioqui valentes, atque robusti essent subitò perierunt. Hæc nos ad memoriam reuocare saluberrima cineris aspersione debemus; hæc perpetuo contemplari: *Memorare enim nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Nec minus corpori ieiunio fræna inijcere debemus: vt enim indomitus equus, nisi fræno cohibeatur, sessorem suum præcipitem aget; ita corpus, nisi alimenta subtrahendo eius petulantiam infringamus, rationem ipsam è suo culmine facile deturbabit. Vt igitur, nihil de se, nisi moderatè sentiendo, superbia proterenda est; ita ciborum abstinentia corporis procacitas comprimenda. Quantum verò ad Dei iram auertendam, atque eiusdem gratiam promerendam ieiunium valeat, luce clarius apparebit, si multa, quæ ex gulæ voluptate nobis accesserunt mala; multa verò, quæ ex ieiunio bona, expendamus. Quid humanum genus præclaro illo innocentiæ dono, quo præditum immortalitate, atque bonorum omnium possessione fruebatur spoliauit, & in teterrimi sceleris culpam mortem ipsam, atque calamitatum omnium profundissimum pelagus demersit, nisi Protoplastorum gula? quid hæc bona illi conseruare,

Pli. lib. 7. c. 7. & c. 53.

& ca-

& eadem mala ab illo arcere potuit, nisi eorundem ieiunium? Id enim illis præceptum fuerat, Gen. 9.
vt a ligno scientiæ boni & mali abstinerent. Quid Hebræorum populū ad Idololatriam perduxit, & præceptis digito Dei conscriptis priuauit, nisi gula? *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*. Exod. 32. Quid eadem præcepta illi restituit, nisi ieiunium? Ieiunauit enim Exod. 34
iterum Moyses, & legum tabulas iterum meruit accipere. Quid spurcissimos illos Pentapolitas ad nefarium scelus patrandum, & iram Dei prouocandam impulit, nisi gula? Quòd in satietate panum lasciuiebant. Ezech. 16 Quid Niniuitis veniam obtinuit, nisi ieiunium. Ionę 3. Omitto nunc innumera mala, quæ vel corporibus ipsis gulæ voluptas affert; innumera verò bona, quæ ijsdem ieiunium præbet. A Gula enim morbi, cruciatus, sensuum atque ingenij hebetudo, ac tandem violenta & intempestiua mors oritur: a ieiunio sanitas, indolentia, sensuum perspicacia, ingenij acumen, & vsque ad extremum senium salubris producta vita. Multum quoque ad Dei beneficia accersenda ieiunium valet: ieiunat Moyses quadraginta diebus, & legem a Deo accipit: ieiunat Helias; & curru igneo sublimis effertur: ieiunat Daniel, & ab esurientibus leonū faucibus liberatur: ieiunat Christus; & illi tandem ab Angelis ministratur. O admirabilem ieiunij vim, o inestimabilem dignitatem: ieiunium mentem subleuat; prauas cogitationes ar-

cet,

cet, dæmones fugat; castitatem tuetur; morbos pellit; ac tandem bona animi custodia est, & securus corporis cohabitator: tantæ etiam

Ephrẽ Syrus 1.to. sermone de ieiun. dignitatis existit, vt sanctus Ephraem dicat Angelos a Deo destinatos esse, qui per singulas Ecclesias ieiunantium nomina conscribant. At vero non nobis ipsis, sed Christo ieiunare debemus: si enim a cibo abstinentes pauperes non pascamus, non Christo, sed Auaritiæ, quæ

Ephes. 5. est Idolorum seruitus, ieiunabimus: ieiunium enim sine eleemosyna, integrum non est, & absque iustitiæ, atque charitatis operibus Deo minime placet, vt ipse per Isaiam inquit:

Isai. 58. *Numquid tale est ieiunium, quod elegi per diem affligere hominẽ animam suam? numquid contorquere quasi circulum caput suum, & saccum, & cinerem sternere? Numquid istud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi? Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt liberos, & omne onus disrumpe, frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* De hoc etiam Dominus in Euangelio nos admo-

Matt. 6. net: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo, & tinea demolitur, & fures effodiunt, & furantur: thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, neque fures effodiunt, & furantur.* Id verò est thesaurizare nobis thesauros in cœlo, eleemosynam pauperibus eroga-

re: sacculi enim qui numquam marcescunt pauperes sunt; hi sunt bonorum, quæ speramus, & expectamus promicondi; hi ianitores regni cœlorum, qui fores aperiant bonis, & benignis, occludant verò malis, & inhumanis; hi & acerrimi sunt apud Deum accusatores, & optimi patroni; his benignus Christus Dominus ita personam propriam largitus est, vt quicquid in ipsos boni contulerimus, ipse nobis acceptum referat, vitæ æternæ premium, & prouentum insuper cum multo fœnore pollicitus; hi sunt ager ille, in quo absconditus est thesaurus; ager namque verè sunt pauperes, qui magnas diuitias continet, sed ab omnibus conculcatur; absconditum vero habent Christum inexaustum bonorum, atque diuitiarum omnium thesaurum; hunc, qui sapit Christianus, omnibus venditis opibus sibi mercari, atque comparare studeat, & conetur. Ad hanc verò mercaturam nos & lucri magnitudo, & vendentis liberalitas, & coemendi occasio libenter inuitant: quod enim maius lucrum sempiterna Dei fruitione nobis accedere potest? Quis vmquam venditor liberalior Christo, qui non ingenti auri, aut argenti pondere, non margaritarum nitore, aut gemmarum pretio, non purpuræ, aut eboris magna copia hanc nobis mercem emendam exponit; sed vel modica eorum, quibus affluimus largitione, vel vnius denarij, vel vnius oboli sed quid vilius? vel solo gelidæ haustu illam

emen-

ementibus se vẽditurum pollicetur. Quanta verò emendi occasio sese offert, immo nos interpellat, sollicitat, vrget; quot pro foribus sacrarũ ædiũ astant mendici, quot mutilati, quot debiles, quot luminibus capti, quot grauibus, atque horrendis morborum generibus cruciati, quot in plateis, & triuijs suæ conditionis calamitatem magnis vlulatibus lamentantur, quot denique in cauernis, & desertis ruinarũ solitudinibus Nycticoracum more lucem refugientes, in sordibus delitescunt? hi omnes merendi regnum cœlorum occasionem præbent. Deberet profectò nos & naturæ consortium, & insita eiusdem lex, & communis conditio ad amandos atque fouendos pauperes compellere: natura enim homines sunt, & nobis affines, naturæ etiam præscripto beneficium, quod nobis conferri cupimus, iure cęteris præstare debemus; conditio vero omnibus æquè mortalibus incerta, & varijs, atque infinitis pene calamitatum, atque malorum incursionibus obnoxia: non enim hi vagam, & agrestem vitam, quam traducunt, ab initio instituerunt; sed ad eam calamitatibus, & necessitate impulsi sunt. quot sunt ex his honesti, atque ingenui viri; quot mulieres, quæ olim foras numquam exiuerunt quæ foras nunquam antea respexerunt, nunc vero de loco in locum circumeuntes, de domo in domum, ab omnibus conspiciuntur, ab omnibus contemplantur, immo ab omnibus quamuis no-

tis

tis, & propinquis deuitantur: omnes enim ab illis sibi metuentes tanquam ab augurio, eorum accessum, atque introitum declinant: debent inquam hæc nos cogere, vt his ea, quæ nobis superflua sunt impertiamur, mutua largitione beneficium rependentes: illi enim quod nobis exuperat accipientes, nostræ vtilitati consulunt; quod nociturum erat absumendo; nos dantes, eorum egestati prouidemus, quod necessarium est ministrando. Ferunt qui naturę abdita rimantur, Crocodilum, cùm carnem dentibus supercrescere senserit, hianti ore Trochilum auiculam quandam admittere, quæ dum illa vescitur mutuam illi repurgandi dentes vtilitatem præstat: maximè verò nos commouere debent clementissima illius verba, qui nos è Diaboli seruitute in libertatem atque æternam salutem vindicauit: *Quod uni*, inquit, *ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Quisnam adeo sensus expers, quisnam humanitate adeo spoliatus, quis denique tam lapideus erit, e quo hæc verba non modo paruam misericordiæ guttam, sed vel affluentissima flumina non eliciant? Verum quia virtutum opera aliquando ob inanis gloriç sonum, aliquando vero ad hominum gratiam aucupandam per hypocrisim exercentur, ab illa tanquam funestissima peste cauendum esse salutis nostrę auctor præcipit: nihil enim nobis humilitas; nihil ieiunium, nihil eleemosyna proficient, mercedem amittemus; atque si inanis gloriæ cupiditate ducti his

Arist. lib. 9. de hist. Anim. c. 6.

Math. 25.

om-

omnibus vacauerimus, inanem quoque mercedem, ſonum, & leuem auram accipiemus: ſi vero ad potentium gratiam captandam boni haberi cupiamus; iuſto Dei iudicio eueniet, vt cum ea ſpe, quam mente conceperamus, fruſtrati fuerimus (quod ſæpius contingit) perſonam, quam ad alios decipiendos obducti fueramus, deponentes, tales extrinſecus nos oſtendemus, quales intrinſecus antea fueramus, maximo tum apud Deum, tum apud homines habiti ludibrio. Eccleſiæ igitur hoc opportuno tempore nos ad Dei miſericordiam compellanti occurramus; omnem animi elationem, omnemque ſuperbiam abijciamus, ieiunio abſtinentia Dei iracundiam anteuertamus; theſauros nobis in cœlis comparemus, pauperum egeſtatem ſubleuantes; hypocriſis peſtem, ne ſua labe noſtra opera perdat, quam longiſſimè arceamus; hæc enim ſi præſtabimus, & miſericordiam a Deo conſequemur, & vberrimam ab ipſo mercedem accipiemus.

D I X I.

